FRANC. ERN. BRUCKMANNI, MED. DOCT. ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. REG. PRUSS. SCIENT...

Franz Ernst Bruckmann

Digitized by Google

58

FR. ERNESTI BRVCKMANNI,

PHILOS. ET MEDIC. DOCT. ACAD. CÆS. NAT. CVR. ET SOC. REG. PRVSS. MEMBR. NEC NON POLIATRI WOLFF.

EPISTOLA ITINERARIA LVIII.

SISTENS

SCIAGRAPHIAM MVSEI BRVCKMANNIANI

AD

VIRVM PRÆNOBILISSIMVM, CONSVLTISSIMVM ATQVE CELEBERRIMVM,

DOMINVM,

DOMINVM

JOH. WILH. KRETSCHMANNVM,

MEDIC. LIC. PHYSIC. PROVINCIAL. ORD. ET CONSVLEM CVRIEVSEM VARISCORVM HONORATISSIMVM.

WOLFFENB. MDCCXXXVII.

Digitized by Google

VIR PRÆNOBILISSIME ATQVE DOCTISSIME,
FAVTOR PLVRIMVM COLENDE!

Superior epiſtola, *Vir celeberrime*, Vegetabilium ordines conciſe delineavimus, in præſenti res curioſas præcipuas. Regni animalis, in muſeo noſtro obvias, breviſſimis recenſebimus. II. *Rariora ex animali naturæ regno* deſumta ſequentes habent ſubdiviſiones. *Prima partes humanas* monſtrat, & quidem pedem integrum ſiniſtrum Mumiæ Ægyptiacæ cum omnibus digitis, odorabilibus balſamis multis retro ſeculis optime conditum & linteis multiplicatis circum involutum. Secundinas recens nati, vulgo Kleid oder Hemdlein eines neugebohrnen Kindes, quas mulierculæ, Salomonis ſimia prudentiores, ad varias ſuperſtitiones, illicite adhibere ſolent. Bezoar microcoſmicum ſeu calculos humanos veſicæ & renum, diverſæ magnitudinis, albicantes, gryſeos & partim ſplendentes. Lamellas offeas ex teſticulo ſiniſtro viri Goslarienſis deſumtas, de quibus confer. Hamburg. Berichte von gelehrten Sachen ad annum 1734. Num. XXIII. p. 183. Pinguedinem humanam, inſtar ſebi duri concretam, foſſilem, quaſi calcariam, vel rectius calcinatam,

gegraben

gegraben Todten-Fett, quæ 1723. die I. Maji in cœmeterio ad templum oppidi Regio-Lotharienſis, cum tumbam pro defuncto faceret veſpillo, in rupe ſita, ex terræ viſceribus extracta fuit. Abortum digiti articulum longitudine æquantem; fœtum palmæ longitudinis; Embron cum capite & bracchiis, ſed dimidium, trium ferme menſium, abortu cum uteri hæmorrhagia enormi ab equitatione undecim milliarium in equo excitata, ex clauſtro ſuo ejectum, & a marito pede ex incuria ſemi, per medium corpuſculum, dilaceratum. Os amygdali forme album, amygdali ſaccharo incruſtati magnitudine & figura, a me Brunſuigæ d. 25. Jan. 1729. ex cadaveris maſculini veſica urinaria deſumtum; valvulas mitrales & ſemilunares ſiniſtri cordis ventriculi oſſeas ex eodem ſubjecto; calculos biliarios veſicæ felleæ numero XXII. majores & minores læves, ex viridi nigricantes, ex ead. perſona. Cryſtallulos ſalinas pellucidas coagulatas, duras & lapideas, quas nobilis quædam perſona ſexus ſequioris copioſas ex oculo dextro, ſub forma liquida, Menſ. Oct. 1703. effudit, quæ vero lacrymæ ſtatim in genis in cryſtallos concrevere lapideas, de quibus Conſil. Intimus, beat. Dom. Schaper 1704. diſſ. epiſtol. ſub rubr. de Lippitudine cryſtallifera: ad D. Theod. Ch. de Krug datam publicavit, conf. quoque iſta, quæ D. Paullini in Zeitkürtz. erbaulichen Luſt Part. I. p. 113. von ſteinern Thränen annotavit. *Sectio ſecunda* dat *animalia quadrupedia* & horum partes, nec non varia ex iſtis concreta curioſa, inpr. admirationem merentur lac, inſtar filorum craſſorum, Brunſuigæ ante aliquot annos gyrgillo deductum, gehaſpelte Milch. Fuit lac vaccinum menſurarum duarum, in fila alba, dura, craſſitie culmorum ſtramineorum, totum ex cacabo deductum & ſiccatum, quod vulgis nomis credulum, Hexen-Milch inique appellat, ſed, dubio procul, cauſas ſuas naturales, me vero latentes, habet. Pedes parvi Capreoli Indici minoris anteriores & poſteriores, quos argento incluſos

 Indi,

Digitized by Google

Indi, loco parvorum obthuramentorum, quando folia Tabaci conciſa in machinis fumi ductoriis adhuc firmius premere volunt adhibent. Canis marinus confertus. Crocodili tales. Veſicæ ſuillæ per totam peripheriam elegantiſſimis arbuſculis & fruticetis, quæ alias in Dendrite videnda, ornatæ. Indubitate pinguedo in ductibus adipoſis aqua calida inter lavandum ſoluta, mox frigore condenſata, iſtas diſtributiones ramuſculorum & arborum per tunicam celluloſam egregie videndas effecit? forſan & ſal culinare, quo mactatores veſicas fricarunt & purgarunt, aliquid ad meliorem pinguedinis diſſeminationem contribuit? Abortus cervi ſicca methodo balſamatus & areſactus. Globus quaſi politus, levis in trutina pendens, intus piloſus, ex ventriculo bovis Hungar. Lapilli duri, læves, rotundi, aureo & argenteo ſplendore, piſa & ſemina minore ſphærica vel pillulas officinarum pharmaceuticarum mentientes, ex veſica bovis. Cornua bubali Hung. majora, undecim librarum; Damæ Tyrolenſis & Hung. Ovis & agniculi, in multos gyros flexa, prioris ulnam alta, poſterioris ſpithamam longa; Rangiferorum, maris & fœminæ, penderoſa, admodum expanſa & alta. Dens Hippopotami, Crocodili, Draconis, Caſtoris, Lupi &c. Pedra del porco ſeu lap. Malaccenſis verus. Tiburi ſeu Tiburonis os lapidoſum. Folliculus moſchifer piloſus de capra moſchi. Felis Zybethica. Dentes Maxillares bovini deaurati, denſa bractea metallica quaſi obducti, &c.

Tertia monſtrat *aves*, parteſque ex his deſumtas, in ſpecie Halcyonem, colorum in pennis elegantia conſpicuum. Calculos albos ſiliceos ex ventriculo urogalli, in quo meliorem aſſumtorum alimentorum triturationem promovent, extractos. Pullum gallinaceum tribus pedibus & quatuor alis monſtroſum. Roſtra varia avium exoticarum, inpr. avis Babbæ, Perſis, Cuthan dictæ. Ovum in ovo ſeu ovum cui aliud ovum perfectum & grandiuſculum incluſum ſeu ovum gallinæ prægnans.

Ovum galli minus. Ova venti. Ovum gallinæ exacte rotundum, &c.

Quarta piſces, horumque membra revelat, nempe Canem Carchariæ ex utero materno extractum. Rictum & os integrum canis marini, Carchariæ ſeu Lamiæ Rondeletii, variis dentium, gloſſopetras exacti æmulantium, ordinibus armatum. Ichtyolithos varios ſeu lapillos candidos, qui intra plerorumque piſcium crania generantur, nempe Aſellorum majores, Rajæ piſcis, piſcis Tolchen, Manati, ex piſcibus St. Petri, cum effigie hujus apoſtoli, hinc Sanct Peter-Steine dictos; piſcis Stein-Butte, Truttarum, Tiburi &c. Rajas exſiccatas, incurvatas & in formam draconis volantis arte concinnatas, quas Baſilicos vulgo vocant. Haſtam mucronatam piſcis ſerræ ſeu Priſtis. Hippocampum Indiæ Orientalis majorem & rariorem. Acum marinam exſiccatam. Maxillam piſcis cum dentibus politis rotundis & oblongis, qui petrifacti & ex terra foſſiles Kröten-Steine vocantur, aura vincti in annulis geſtantur. Piſces ex pelago volatiles, alis expanſis, ſiccatos, &c.

Sectio quinta conchothecam continet, cujus *ſcrinium Imum conchylia & teſtacea univalvia*, v. g. Turbones, Volutas, Porcellanas ſeu conchas Venereas, Porcellanam literatam ſeu Arabicam, Variolas, Pediculos, mitram Epiſcopi & coronam Papalem, Trochos, Dentalia, Entalia, Nautilos, in ſpecie Nautilum papyraceum ſpinatum rarum ſubtiliſſimam albam & pellucidam teſtam habentem, Cochleas ſtriatas ſeu olearias, aculeatas, echinatas, cylindroideas, imbricatas, cornutas, Millepedam cornutam; cornutam alatam; Strombos, Caſſides, Buccina muſica & ſcalaria, Cochleam lunarem majorem, Veſpertilionem, Muricem angulatum, &c. quod ad ſtructuram, colorem & teſtarum diverſitatem ſummopere miranda offert.

Secundum bivalvia, nempe Tellinas ſerratas, Belgis Saggies dictas; Vulvam marinam aculeis, inſtar pubis,

horridam; Pectines variæ magnitudinis, auriculatos, variegatos. Chamas litteratas oblongas Rumphii ſeu conchas rhomboidales ſeu Muſculos ſtriatos Rondeletii, ex Mari Veneto, quæ Viennæ Auſtriæ in uſum edulem cedunt. Patellas Capitis Bonæ Spei c. & ſine foramine. Muſculum eſculentum Kilonienſem cum margaritis in carne contentis. Aures marinas. Conchas ſerratas, echinatas, rugatas, margaratiſeras, marinas & fluviatiles. Valvas Chamæpholar. oſtrea echinata majora rubra, imbricata, monſtroſa. Solenes cœruleos, brunnos, albos, bivalvios. Ungues. Dactylos, Arcam Noæ, &c. curioſis dat luſtranda.

In tertio cruſtacea, vegetabilia & reliqua corpora marina oculis animo perluſtrantur, inpr. Echini marini, variæ magnitudinis, cum & ſine aculeis & ſetis, rotundi & cordiformes. Radii Echini marini, länglichte Meers Bohnen. Cancelli in conchis ſeu cancri teſtacei, à Gallis l'Emerite, Einſiedler vocati, qui ſinguli ſuum proprium domicilium inhabitant. Cancelli in conchis turbinatis, cochleis, Nerite & Buccino. Majæ marinæ læves & aſperæ. Cancri marini varii. Squillæ. Gammari. Stellæ marinæ non unius generis. Aculei Echinometræ digitatæ majores, purpurei coloris nec non cinerei, in apice tribus faſciis albis cincti, inferius fovea notati. Balani Ceti; it. Amboinenſes. Corallia rubra & alba elegantiora. Porus coralloides reticulatus albus. Corallia varia alb… Americana. Truncus elegans, ſubſtantiæ lapideæ, fruti… cem Corallii ſublutei levis repræſentans, minutiſſim… punctis ſeu poroſitatibus per totam ſubſtantiam ſcate… Fungus coralloides cerebrum humanum referens ſeu… ſtroites undulatus major. Pſeudo-Corallium album… mericanum. Alcyonium Maris rubri purpureum, t… loſum, ſpongioſum, pulcherrimum. Silices, in q… corallia rubra & plantæ coralli formes duræ & lap… cinereæ notæ. Saxa cum Quercu marina tubercu… veſiculoſa. Urticæ marinæ ſpecies. Eruca marina …

ſtrix marina Rhedi, ſplendente & picto pilorum colore arcum cœleſtem egregie exhibens. Teredo marina Belgica. Tubuli marini vermiculares maximi, qui olim lumbricorum aliorumque inſectorum marinorum domicilia fuerunt. Succina varia. Mures marini. Umbilici marini, ratione coloris & magnitudinis varii; nihil aliud ſunt, quam opercula teſtarum turbinatarum & cochlearum. Iidem punctati rariores Cap. Bonæ Spei. Lapilli Chelidonii Grœnlandici ſeu umbilici marini minimi albi. Blattæ Byzantinæ. Lapis lumbricalis. Uvæ marinæ ſeu favagines oſtrearum Liſteri. Plica Neptuni ſetoſa & piloſa cum adhærentibus conchis & harum fragmentis. Eſchara marina ſeu Madrepora lata, cinerea, elegantiſſ. cornu Alcis fere ſimilis, ſeu porus cervinus Imperati ſeu Cornu Alcis Piſonis Hiſt. Nat. Occid. Ind. p. 121. Oſſa ſepiæ diverſa & diverſæ magnitudinis, ex quorum pulvere ſubtiliſſimo glutineque arctiſſime firmato ſic communiter dicta Spuma marina pro capitibus fiſtularum tabacinarum, Meer-Schaum-Tobacks-Pfeiffen-Köpffe, paratur. Tribulus marinus albus lapidoſus, concretum rariſſimum. Algæ marinæ variæ, cum & ſine tuberculis, ſaccharifera; muſci marini, plantæ ſetoſæ & aliæ, &c.

Ulta & ultima Regni animalis ſectio ſerpentes & inſecta nonnulla, & ex his deſumta offert concreta, nempe Petram de Cobras de Cabeſos. Coccum ex radicibus Polygoni cocciferi ex Polonia Amphisbænam exſiccatam. Salamandram, forma ad lacertam accedentem, ſed non ita longa cauda, capite etiam rotundiore, pedibus a buforum pedibus haud diverſis, ſed craſſioribus, inſtructam, quod ad corpus colore atro, flavis pulchriſque maculis & Zonis a ſummo capite ad extremam uſque caudam, hac illac ſparſis diſtinctam, ex Sylva Hercynia, in qua hæc animalcula lentipedia tempore pluvioſo, inpr. in de relictis venarum ferrearum cavernis metallicis, copioſe in apricum ex latibulis ſuis rupium veniunt. Tarantulam ex Apuliæ Regno. Phalangium Americanum maximum

brun

Digitized by Google

brunnum & hirſutum. Sericum aranearum, Seide von Spinnen. Chamæleontes variæ magnitudinis. Scarabæum Indicum Kackerlac. Inſecta marina Xylophaga, Belgis Zee-boor-Worm, quorum injurias naves & pedamenta ſubmarina Anno 1732. in Belgio cum maximo damno ſentiverunt &c. Regni mineralis rerum naturalium ordines, qui adhuc reſtant, *Fautor æſtumatiſſime*, mox ſine mora in ſequentibus accipies. Vale diu & feliciter, *Mi Kretſchmanne*, & ſave ulterius

Wolff. d. 21. Maji
1737.

Prænobiliſſimo Nomini Tuo addictiſſimo,

Brückmanno, *D.*

SS 54 8251

Digitized by Google

Digitized by Google